



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LVII. De Parocho excommunicato absolvente à peccatis &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LVII.

*De Parocho excommunicato absolvente à peccatis &c.*

**H**eribertus Parochus excommunicatus ob delictum à se commissum perguit obire munus Parochiale, & Confessiones suorum Parochianorum excipere, putantium eum non carere jurisdictione, quâ tamen spoliatus erat. Inter confitentes accedit etiam Necetas, & sua peccata confitetur, & absolvitur, sed vix peracta absolutione, dum è S. Tribunali recedere parat, recordatur peccati mortalis, cujus prius oblitus fuerat, à quo proin etiam absolvi petit, uti etiam ab alio peccato, quod prius ut dubium exposuerat, sed nunc scit certum fuisse. Heribertus ratus non esse opus nova absolutione, eum absque illa à se dimittit.

*QUÆR. I. An Absolutiones ab Heriberto excommunicato impertitæ suis Parochianis valide fuerint?*

*QUÆR. II. An denuò sit absolvendus, qui post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem statim subjungit peccatum grave, cujus prius fuerat oblitus?*

*QUÆR. III. An, qui confessus est peccatum ut dubium, si postea deprehendat, certum fuisse, teneatur rursus ut certum confiteri?*

327

**A**D I. Q. Suppono intervenisse communem, & publicum Parochianorum errorem, putantium Parochum suum præditum esse ea-

dem jurisdictione, quâ prius præditus erat ante commissum delictum; quam tamen amiserat per Excommunicationem, quæ delicto

lieto annexa erat. Hoc supposito.

Ad Q. Videtur, absolutiones ab Heriberto suis poenitentibus impensas invalidas fuisse, & nullas. Primò, quia si error communis non interveniret, absolutiones Heriberti invalidæ forent: ergo etiam invalidæ sunt stante errore, quia non apparet, unde Confessarius in tali casu acquirat jurisdictionem, quâ excidit. Non ab errore, quia inconueniens, & absurdum est, dicere, quòd jus, utpote æquum, & bonum, nascatur ab erroribus. Non à Parochianis, quia hi jurisdictionem dare non possunt, nec censentur dare ob ignorantiam defectus, qui eis ignotus est. Non denique à Superiore ob eandem rationem, & præterea in impedimento jurisdictionem tollente Superior sæpè dispensare nequit. Secundò, quia si error communis jurisdictionem conferret, tunc validæ etiam essent absolutiones collatæ à Clerico non Sacerdote, casu, quo per errorem haberetur pro Sacerdote: sequela est contra sensum Ecclesiæ, ipsamque veritatem.

323 Nihilominus affirmativè respondendum est, ac tenendum eas absolutiones validas fuisse. Ita Communis DD. cum Suarez, Lug. Sanch. Diana Coninck, Bonac. & sumitur ex *L. Barbarius 3. ff. de*

*Offic. Prætor. Can. infamis 1. §. verumtamen caus. 3. q. 7. & arg. C. ad probandum 27. de sentent. & re judic.* Et ratio est; quia quando communis error conjunctus est cum titulo colorato, ut si quis passim putetur esse Pastor, qui ob aliquem defectum re vera talis non est, aut si Parochus exponat Sacerdotem non approbatum, qui publicè approbatus existimatur &c. Ecclesia in tali casu supplet defectum, & jurisdictionem ad valorem necessariam imperat ob communem, & publicam poenitentium utilitatem. Nec valori obest mala fides ipsius Confessarii, aut Parochi scientis se carere jurisdictione, modò communi errore existimetur illà præditus, quia beneficium *L. Barbarius*, & *§. verumtamen cit.* non est datum in favorem Confessarii aut Judicis, sed boni publici, quod aliàs plurimum pateretur, si in tali casu mala fides Judicis, Confessarii, aut Parochi obesset valori actuum. Ex pari ratione valent acta Episcopi, vel alterius Prælati, cujus electio ob aliquod juris humani impedimentum irrita, & nulla fuit, si ejus nullitas publicè, ac communiter ignoretur, ut notat Wiestn. hinc n. 89.

Similiter si quis bona fide cepit possidere Beneficium, cui in hoc foro annexa est jurisdictio, & postea incipit dubitare de valore colla-

collationis, si facta diligenti inquisitione, manet adhuc dubius, sicut ipse in tali casu licitè retinet Beneficium, ita licitè exercet jurisdictionem Beneficio annexam; quia si forte Beneficium non esset ei validè collatum; Ecclesia tamen ob bonum commune suppleret tunc ejus defectum, jurisdictionem conferendo. Unde

Patet responsio ad argumenta in contrarium adducta.

Ad 1. enim R. jurisdictionem in tali casu conferri ab Ecclesia (vel à Republica respectu Judicis sæcularis) favore non tam ipsius erroris, quam publicæ necessitatis, & utilitatis, id quod suadet sollicitudo & benignitas Ecclesiæ erga suos subditos, & fideles.

Ad 2. neg. seq. nam quæstio hæc procedit de impedimentis juris humani; ubi Ecclesia, vel Respubl. potest supplere, & jurisdictionem conferre; Ecclesia autem in non sacerdote defectum supplere nequit, nam Ordo sacerdotalis ad valorem sacramentalis Absolutionis requiritur ex jure divino.

Ad 2. Q. Videtur opus non esse nova absolutione, si peccatum per oblivionem omissum statim subjungatur post acceptam absolutionem. Tum quia Confessio hæc posterior censetur moraliter esse una, eadèmq; cum illa priori: ex  
R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

ergo sufficit etiam una, eadèmq; absolutio.

Tum quia etiam in aliis sacramentis prolata physicè forma, non censentur moraliter finita, sed aliquantulum suspensa, donec materia apponatur, quæ positâ primùm adæquatè absolvuntur, & perficiuntur, uti contingit in Baptismo, in quo, prolata physicè forma, non debet necessariò uno simul, eodèmq; momento poni ablutio. Ergo.

His non obstantibus dicendum est, denuò absolvendum esse, qui post peractam Confessionem, & acceptam jam absolutionem statim subjungit novum peccatum mortale, cujus priùs in actu Confessionis fuerat oblitus, id, quod plerique DD. supponere videntur cum Lug. D. 14. n. 24. & ratio ipsa suadet; quia prolata sententiâ judiciali absolvitur judicium, & finitur totus actus judicialis terminatus ad delicta ad judicium delata: ergo non censetur ampliùs moraliter extendi ad alia delicta huic judicio nondum subjecta, sed pro nova accusatione, novòque delicto, novum quoque judicium instituendum est, novaque sententia ferenda. Unde

Patet responsio ad 1. rationem in contrarium allatam.

Ad 2. negatur paritas cum iis sacramentis, quæ prolata physicè formâ nondum censentur moraliter  
Zz finita,

finita, & integrè perfecta, uti contingit in Baptismo; aliter enim res se habet in sacramento Pœnitentiæ, cujus actus judicialis totus absolvitur, quàm primùm finitur absolutio. Si tamen pœnitens sola venialia afferat, aut circumstantias mortalium aggravantes, repetenda non est absolutio, quia cùm id necesse non sit, videtur quædam irreverentia, ut notant *Spor. num. 628.* & *La Croix l. 6. p. 2. n. 644.*

330 Ad 3. Q. dari obligationem rursus exponendi peccatum ut certum, quod prius ut dubium clavibus subiectum fuerat, docent quàm plurimi præsertim antiquiores cum *Th. Sanch. l. 1. in Decal. c. 10.* *Turrion. Diana, Mart. Perez, Carden. Platel. Gormaz Dicastill. Illf. qui ait esse sententiam ferè omnium.*

Rationem dant. Primò; quia Confessio peccati ut certi, quod prius ut dubium fuit expositum, notabiliter mutat iudicium Confessarii: ergo debet ut certum à pœnitente exponi in Confessione, ut Confessarius secundum æquitatem iudicare possit.

Secundò; quia peccata debent in Confessione manifestari prout sunt in conscientia pœnitentis, sed hoc peccatum in conscientia jam non est dubium, sed certum: ergo debet manifestari ut certum.

3. Debito certo non satisfit per

solutionem dubiam; sed debitum, seu obligatio confitendi peccatum mortale, quod fuit certò commissum; est certa: ergo huic non satisfit per solutionem incertam, seu per Confessionem peccati ut dubii.

4. Etsi peccatum, quod ut dubium in Confessione expositum est, directè fuerit remissum, inde non probatur, quòd non debeat postea rursus subiici clavibus: ergo. prob. ant. qui ob instans vitæ periculum, aliamve ob causam legitimam non potest confiteri suum peccatum, nisi in genere dicendo, se semel graviter peccasse, directè ab illo absolvitur, & tamen si postea evadat periculum, & peccatum suum confiteri possit, tenetur rursus illud in proxima Confessione explicare: ergo &c.

Negativam sententiam ample-<sup>331</sup> ctuntur *Arr. d. 31. n. 46.* *Escob. l. 15. n. 179.* *Bosco d. 7. S. 8. à n. 138.* *Stozl. n. p. 5. n. 170.* *Sporer. n. 398.* *Herinx. d. 3. n. 51.* *Tarabur. n. 24.* *Lohner. de Confess. p. 2. c. 12. §. 2. q. 7.* *Mendo d. 10. n. 68.* *Caram. Leand. Verric. Rosel. Delgado, Ant. Perez, Henriq. Rhodes, Cotton, Ant. à S. spiritu, aliique RR. quam sententiam valde probabilem censet Lugo D. 16. S. 2. licèt & ipse in fine quæstionis hujus securiorem partem consulat, subjungatque, nolle se in hoc aliquid definire, eò quòd tunc temporis nullus ex illis paucis, qui rem hanc attin-*

attigerunt, apertè faveat benigniori sententiæ.

Probatur hæc opinio. Primò negativè, quia obligatio valde gravis non est asserenda sine gravi fundamento, & clara Christi voluntate: sed confiteri bis idem peccatum est obligatio, & onus valde grave, nec sufficienti ratione probatur, aut aliunde constat de clara Christi voluntate, ut patebit ex dicendis: ergo.

Secundò, quia qui peccatum aliquod mortale confessus est quoad totam speciem, & numerum, & ab illo fuit directè absolutus, non tenetur illud per se iterum confiteri, sic quando debitum jam est condonatum, non opus est petere aliam condonationem: sed qui peccatum confessus est ut dubium, confessus est illud quoad totam speciem, & numerum, uti ponitur, & ab illo fuit directè absolutus: ergo non tenetur illud rursus confiteri, etsi postea deprehendat esse certum, aliàs etiam ille, qui confitetur peccatum ut probabile, vel qui confitetur peccatum mortale, quod nec ipse, nec Confessarius putat esse mortale, teneretur illud iterum confiteri, comperta postea majori, vel omnimoda certitudine, quod tamen videtur repugnare communi fidelium sensui, nec ipsi Adversarii omnes concedunt.

Prob. 3. ex Lug. l. c. si ille, qui

confessus est peccatum ut dubium, teneretur postea illud confiteri ut certum, tunc etiam ille, qui confessus est numerum ut dubium, teneretur postea confiteri ut certum, adeoque qui dixit, se decies circiter pejerâsse, si postea certò cognosceret, se pejerâsse undecies, teneretur iterum confiteri, & numerum peccatorum ut certum clavibus subiicere: Sed hoc est contra communem doctrinam gravium AA. Suar. D. 22. S. 5. Valq. Soti, Coninch, Bonac, Ledesm. Villalob. Sà, Tann. Veg. Valent. Reginald. Gob. Cotton, Moyæ, Sporer, aliorumque, qui oppositum vix non ut certum supponunt, videturque esse contra praxim fidelium, præsertim rudiorum, qui ignorantes numerum certum arbitrantur, se obligationi suæ, & conscientiæ satisfacere, si numero incerto addant particulas illas, *plus minus, vel circiter*, nisi fortè postea deprehendant excessum fuisse longè majorem, quàm qui sub illis particulis intelligi solet. Maj. probatur à C. de Lug. ille, qui dicit, se pejerâsse decies plus, minus, non dicit ut certum undecimum perjurium, sed ut dubium; imò non solum peccatum undecimum, vel duodecimum inposito calu dicit ut dubium, sed etiam ipsum peccatum decimum; nam qui dicit se pejerâsse plus minus non affirmat pro certo, se pejerâsse decies, sed relinquit sub dubio, an fuerint peccata pauciora, vel plura: ergo si teneretur ad peccatum, te-

neretur etiam ad numerum certum postea exponendum; atque adeo ex consequentia doctrinæ, & ratione vel debet utrumque admitti, vel debet negari communis doctrinæ, quam tam graves, & illustres DD. communiter tenent, teste etiam Tannero *D. 6. q. 7.* Unde hæc paritas multos eò permovet, ut benigniorem partem amplecterentur, nec disparitas satis probari potest ab Adversariis.

332 Ex duobus hisce sententiis probabilibus, quamquam affirmativa sit pœnitentibus consulenda; negativa tamen hodie dum est valde probabilis, & in praxi tuta, ut a libi dictum est in libello de Confess. & Commun. Unde

Ad argumenta in oppositum R. Ad primum, retorquendo, etiam peccatum, quod quis ut certum confessus est, & postea cognoscit esse dubium, notabiliter mutat iudicium Confessarii; uti sæpè & circumstantiæ aggravantes, vel alleviantes, quin tamen propterea debeant in Confessione exponi. In forma *dist. 2.* notabiliter mutat iudicium Confessarii quoad novam speciem, vel numerum, *n. a. secus, c. a. & d. conseq.* ergo debet exponi, si mutaret iudicium Confessarii quoad speciem, vel numerum, *C. C. secus, n. c.* non enim omne id, quod etiam notabiliter mutat iudicium Confessarii, est necessario exponendum in Confessio-

ne, ut modo dictum est, potestque rursus retorqueri in numero incerto exposito per illas particulas plus, minus, circiter &c.

Porro particulæ hæc plus minus, circiter quò majori numero adiciuntur, eò ad majorem excessum juxta æstimationem prudentum extendi solent, ut notat Lugo *n. 96.* Unde aliqui cum Tambur. censent modicum respectu 5. vel 6. esse unum, respectu decem, duo, respectu 20. tria, respectu 40. vel 50. quatuor, respectu centum, quinque, vel 6. Probabilius tamen Lugo cum aliis censet, non esse cogendum ad novam Confessionem eum, qui confessus est, se centies peccasse, si postea comprehendat, fuisse id factum centies decies.

Ad 2. R. D. M. Debent in Confessione manifestari prout sunt in conscientia pœnitentis ante Confessionem, seu quando primo exponuntur, & directè remittuntur, C. M. prout sunt in Conscientia post Confessionem peractam, seu postquam pœnitens fuit ab eis plene, & directè absolutus, *n. M. & dist. m.* sed hoc peccatum in conscientia pœnitentis non est jam dubium, sed certum, scilicet post Confessionem, & obtentam directam ejus absolutionem, *c. m. ante, n. m. & c.* argumentum hoc, quod fuit fundamentum Turriani, probaret, quòd etiam peccatum undecimum cognitum postea ut certum,

certum, deberet de novo explicari ab illo, qui confessus est dicendo, se decies plùs minùs peccasse, quia etiam illud peccatum modo est certum in conscientia pœnitentis; vel quòd debeat pœnitens peccatum, quod ut certum confessus est, rursus confiteri, si postea comperiatur esse tantùm probabile, vel dubium, cujus tamen oppositum dicit Lugo esse certum.

Ad 3. R. dist. min. Obligatio confitendi peccatum mortale quod fuit certò commissum, & quod ante confessionem, & directam ejus remissionem scitur, esse commissum, est certa, c. min. quod ante Confessionem, & directam ejus remissionem cognoscitur esse dubium, & primùm post ejus Confessionem secundùm totam speciem, & directam ejus remissionem cognoscitur esse certum, n. min. vel subdist. Obligatio illud confitendi ut dubium, est certa c. obligatio illud confitendi ut certum, n. min. & c. nam obligatio confitendi peccatum ut certum, quod primùm cognoscitur ut certum, postquam in Confessione fuit expositum secun-

dùm totam speciem, & directè remissum, negatur ab AA. suprà citr. & aliis, & oppositum probant rationes suprà allatæ: ergo non est certa. Demum argumentum hoc solvendum est adversæ parti in numero incerto exposito per particulas plùs minùs &c.

Ad 4. R. n. vel d. ant. si peccatum illud non fuit remissum, & expositum quoad numerum, & totam speciem, c. a. secùs, n. a. Ad rationem ant. R. debet illud peccatum postea in proxima Confessione denudè explicari ideò, quia per illam Confessionem genericam nondum fuit expositum quoad totam speciem, secundùm quam tamen, si potest, debet exponi; atque adeò etsi præcisè ex eo, quod peccatum aliquod fuerit directè remissum, non semper sequatur, non debere postea illud explicari in Confessione, sequitur tamen ex hoc, & simul ex eo, quòd tale peccatum fuerit expositum secundùm totam suam speciem, & aliunde obligatio illud iterum confitendi sufficienter probari non possit.

